Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26265
Copyright: Admont, Benediktinerstift

aut medium est aut perfectum. quod aeque scripturarum
auctoritate probare possimus. Habemus enim in
euangelio dixisse dominum. si uis in uitam aeternam uenire
serua mandata. Dicit ille. Que? Ihesus autem dixit illi.
Non homicidium facies. non adulterabis. non facies
furtum. non falsum testimonium dices. honora patrem
et matrem. et diliges proximum tuum sicut te ipsum.

De medietate officii.

Hec sunt media officia quibus aliquid deest. Dicit illi
adolescens. Omnia hec custodiui a iuuentute
mea. Quid adhuc mihi deest? Ait illi Ihesus. Si uis per
fectus esse. uade uende omnia bona tua et da
pauperibus et habebis thesaurum in celo. et ueni se
quere me. Et superius habes scriptum ubi diligen
dos inimicos. et orandum dicitur pro calumpniantibus
et persequentibus nos. et benedicere maledicentes.
hoc nos facere debere si uolumus perfecti esse
sicut pater noster qui in celo est. qui super bonos et malos so
lem iubet radios fundere. et pluuiam et rorem
et terras uniuersorum sine ulla discretione pingues
cere. Hoc est quod perfectum officium. quod katortoma

De perfectione officii quod katortoma dicitur.

dixerunt greci. quo corriguntur omnia que aliquos
potuerunt habere lapsus. Bona etiam misericordia